



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Via Lactea Sive Institutiones Iuris Canonici

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Tit. XII. De his, quæ Matrimonium impediunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94613](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94613)

TIT. XI.

De Nuptiis.

Continuatio huius Tituli ad præcedentes colligitur ex principio tituli nostri; pro cuius expeditione videbimus:

1. Quid sint Nuptiæ?
2. Unde dictæ?
3. Quando dicantur contractæ?
4. Qui nuptias contrahant?
5. Quibus temporibus fiant?
6. Quæ matrimonium invalidum reddant?

Quò ad Primum. Nuptiæ nihil aliud sunt, quam Matrimonium; quod quidem Matrimonium præfertur communicationem Juris divini, atque humani per conjunctionem maris, & feminae, ac inseparabiliter factam. Hoc tamen discrimen videtur esse inter Matrimonium, & Nuptias, quòd propriè Matrimonium præfertur illud totum tempus, quo legitime est conjunctio contracta, & copula sequuta. Nuptiæ vero referuntur ad Tempus illud, quo per verba de præfati consensum contrahentes præstant, & illam perpetuam inter se mutuam conjunctionem contrahunt. Ut notant DD. in Rubr. 6. de Sponsal.

Quò ad Secundum. Nuptiæ dicuntur à nubendo, seu velando, cap. Nec illud. 30. quæst. 5. c. Nicimago. 33. quæst. 5. Etenim propter modestiam sponsæ velabantur, ut dictum est in titulo de Nuptiis in Civil. Institution.

Quò ad Tertium. Nuptiæ dicuntur tunc contractæ, quando ab illis, qui debent conjuges esse, est consensus præstutus ad Parochi interrogationem, cujus Parochi præsentia est omnino necessaria. Concil. Trid. in cap. 1. de Reform. Matrim. sess. 24. Aliàs Matrimonium diceretur clandestinum, nec contrahentes obligaret in foro exteriori, d. c. 1.

Quò ad Quartum. Habentes legitimam ætatem, & facultatem consentiendi, Matrimonium possunt contrahere. Legitima verò ætas deprehenditur ex habilitate ad coeundum, c. 3. de Despons. Impub. §. Sed qui, h. t. Abb. in cap. De illis, ext. de Sponsalibus. Est tamen casus in quo impubes potest Matrimonium contrahere si inhabilis sit ad copulam, & est quando de pace ineunda tractatur, §. Idem si, eod. cap. 2. de Despons. Impub. & 29. d. per totam, c. Hoc quippe. 3. quæst. 6. Et sciendum est, quòd ad contrahendum Matrimonium verba omnino sunt necessaria, vel saltem alia signa mentem contrahentium exprimentia, & ex quibus consensus deprehendi possit, cap. Sufficit. 27. quæst. 2. Abb. in c. Tua, de Spons. §. Licet autem, hoc tit. Unde etiam mutus, & surdus per signa contrahere possunt, §. Multi, hoc tit.

Quò ad Quintum. Temporibus statutis tantum potest contrahi Matrimonium. Quare prohibetur ab Adventu Domini Nostri, usque in diem Epiphaniæ; & à Feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusivè, c. Ab adventu, de Reform. Matrim. sess. 24. in Concil. Trid. Et hoc est unum de Præceptis Ecclesiæ, Et si quis dixerit hanc Superstitionem superstitionem esse anathema sit, c. 11. de Sacram. Matrim. sess. 24. in eod. Conc.

Quò ad Postremum. Si quis crediderit personam liberæ conditionis suscipere, quam postea

cognoscat esse servilis, Matrimonium est nullum, nisi fuerit renovatus consensus, vel sequuta copula, §. Si quis tamen, hoc tit. 6. Propositum, de Conj. servor. Qui autem dicantur liberi dicit text. in §. Liberi autem, h. t. Item si quis contrahere credat cum una, ac alii subiciatur per errorem, ob impedimentum consensus Matrimonium invalidum redditur, cap. 1. 29. quæst. 7. & Goffred. in sua Summ. in Rubr. de Spons. sub num. 21. Ubi etiam dicit errorem qualitatis, & fortunæ non impedire Matrimonium, ut si illa, cum qua contrahitur, credatur esse Virgo, & non sit, vel dives, & pauper sit, ut 29. q. 1. d. c. 1. De aliis impedimentibus dicitur in sequenti titulo.

TIT. XII.

Quæ Matrimonium impedire possint.

Quoniam multa impediunt Matrimonium; ob id nunc de hac materia. Et videbimus:

1. Quæ Matrimonium contractum dirimant, & quæ contrahendum impediant?
2. Quot Matrimonii species sint?

Quò ad Primum. Primo loco Error dirimit Matrimonium, ut hic in princ. Et quoniam quatuor sunt species Erroris, Conditionis & Personæ, Fortunæ, & Qualitatis, sciendum est, quòd potestremæ duæ Matrimonium non dirimunt; superiores sic, ut sup. tit. proximo dixi, & c. 1. & per totum 29. quæst. 1. & quæst. 2. §. Solus, hoc tit. Secundò: Condicio appposita contra substantiam Matrimonii, vel dirimit, vel nullum efficit Matrimonium, c. Super eo, & c. Ad id, de Cond. apposit. c. Commissum, de Spons. c. de illis. De eo qui duxit in Matrim. quam poll. per Adult. Nisi sequuta sit Carnalis Copula, quia tunc intelligitur recessum ab omni conditione, vel modo, ut DD. Jurib. & per Goffr. in sua Summ. de Spons. num. 22. Tertio: Votum solenne, & Sacerdotalis, §. Item Voti, hoc tit. c. Unic. de Constit. in 6. c. Feriatim. 32. d. Votum autem solenne in proposito est, veluti susceptio Sacri Ordinis, vel professione tacita, vel expressa munitum, d. c. Unic. Secus autem est in Voto simplici, §. Secus, hoc tit. Nam etsi contrahendum impediat, contractum tamen non tollit arg. c. Quemadmodum, de Jur. jur. & l. Patre. De his qui sunt sui, vel alien. Jur. Quarto: Disparitas fidei, ut si unus sit Christianus, alter Judæus, ut 28. quæst. 1. per totum. Quintò: Publicæ honestatis iustitia, 37. quæst. 2. cap. Siquis uxorem. Et non solum impedit, sed etiam dirimit, c. Juvenis, hoc tit. & Goffr. in Rubr. ext. eod. num. 21. c. Duo pueri, de Despons. Impub. Et hæc iustitia publicæ honestatis descendit ex Sponsalibus; & Matrimonio rato, etiam nulla copula carnali intercedente, cap. Unic. de Spons. in 6. cap. Sponsam, ext. de Sponsal. Et olim propter hanc iustitiam publicæ honestatis, qui spondebatur cum aliqua, non poterat contrahere cum consanguineis sponsæ, nec sponsa cum consanguineis sponsi usque ad quartum gradum. Ita not. Abb. in d. c. Sponsam. Et hoc habebat locum etiam si Sponsalia essent nulla, cap. Ad audientiam, de Sponsal. Quod tamen novissimè per Concilium Tridentin. correctum est de Res. Matrim. sess. 24. cap. 3. ubi duo ordinantur. Primum, quòd si sponsalia nulla sint, quacunque de causa, non inducant hanc iustitiam publicæ honestatis. Alterum est, quòd quando sunt valida

non

non inducant hoc impedimentum, nisi in primo gradu solo: Unde Vir non potest contrahere cum consanguineis suæ sponse in primo gradu tantum; & sic de sponsa idem dicitur.

Sexto Ligamen impedit, & dirimit Matrimonium, *cap. Si per. 3. qu. 1.* Ut si quis per verba de præfenti contrahat cum aliqua; namque hoc casu etiam quod copula non sit sequuta, tamen uno vivente, alter conjugum non potest contrahere cum alio; & si contrahat, nullum est Matrimonium, licet consummatum per copulam, & habeat filios, sed debet redire ad primum, *cap. Si inter, de Sponsal.* Sed quomodo in Lege veteri licita esset pluralitas Uxorū; Et Sancti Patriarchæ fuerint Polygami? Vide in meis Decisionibus de Matrimonio, decis. 29. in qua plenè agitur de Polygamia, ac de Polyviria; & adducuntur pulcherrimæ Historiæ, ac Exempla circa hoc Ligaminis impedimentum.

Septimo Crimen impedit Matrimonium, & dirimit, *cap. Anovere. 33. q. 1. & extr. de eo, qui cogn. consang. Uxori suæ, c. 1. & 2.* Sive crimen sit homicidii, sive adulterii; ut si unus conjugum conveniat cum altero, ut occidant alterum conjugem, ut possint inter se contrahere. Vel si unus conjugum occidat alterum per se, vel per alium, ut contrahat cum adultero, *cap. Super eo, extr. De eo qui dux. in Matrimon. quam prius poll. per adult.* Vel si unus conjugum committat adulterium cum aliquo, & promittat ei, cum quo adulteratur, se contracturum post obitum conjugis, per *d. c. Super eo, cum simill.*

Octavo Affinitas Matrimonium impedit, & dirimit: Et affinitas nihil aliud est, quam cognatio quædam ex copula carnali procedens. Et hæc affinitas non solum ex copula licita Matrimonii, sed etiam ex copula illicita procedit, *c. Discretionem. De eo, qui cogn. consang.* Et per hanc affinitatem consanguinei utriusque conjugis usque ad quartum gradum non possunt contrahere cum altero conjugum, *c. Non debet. §. Prohib. extr. de consang. & affinit.* Verum hodie secundum constitutionem Concilii Trid. in sess. 24. c. 4. de Reformat. Matrim. Impedimentum affinitatis per copulam illicitam non extenditur ultra secundum gradum. Cognatio autem dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum: Unde qui sunt conjuncti, idest consanguinei, si loquamur de collateralibus, non possunt contrahere usque ad quartum gradum inclusive, *cap. Non debet, de consanguinit. & affinit.* In ascendentibus verò, & descendentibus dicas, quod in infinitum prohibetur Matrimonium; ita est communis sententia, quæ enim personæ locum parentum, & filiorum obtinent, non possunt inter se contrahere. *§. Ergo, Vers. inter eas, Infit. de Nupt. d. cap. Non debet, & cap. unic. extr. de Cogn. legal.* Et si vis habere cognitionem graduum, vide *cap. fin. cum Gloss. ibi in Verb. remotior. extr. De consang. & affinit.* & facilius in meis Decisionibus de Matrimonio, decis. 22. à num. 7. seqq. Vis etiam impedit Matrimonium, *c. Cum locum, extr. de Sponsal. c. 9. sess. 24. de Reform.* Unde reallumas hos modos, & dicas sic:

Error, Condicio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.
Si sis Affinis, si sortè coire nequibis.
Si Parochi, & duplicis desit præsentia Testis;
Ruptæ sit Mulier, nec parti reddita tuta;
Hæc socianda verant connubia; facta retractant.

Ultra hos modos nota casum furoris, qui Matrimonium impedit, *cap. Neque furiosus. 32. qu. 7.* Item per adulterium Matrimonium separatur, *can. 7. de Spons. & Matrim. sess. 24. in Concil. Trid.* Quenam factum tollant? vide Gloss. in *c. Literas, de Suppl. negl. Præl.*

Quò ad Secundum. Tres species Matrimonii constituuntur. Legitimum, & non ratum. Aliud legitimum, & ratum. Tertium ratum, & non legitimum.

Primum est, quod legali institutione, & Provincia moribus contrahitur; hoc inter infideles non est ratum, quia non est firmum, & ideo violabile est conjugium eorum: Dato enim libello repudii, licet eis recedere ad invicem, & alii copulari lege Fori, non lege Poli, quam non sequuntur.

Secundum verò inter fideles ratum conjugium est, quia conjugia semel initiata, & completa inter eos, ulterius solvi non possunt. Legitimum quoque est, quia fit servatis solemnitatibus, ut cum Uxor à Parentibus traditur; à Sponsio datur, & à Sacerdote benedicitur.

Tertium fit inter eos, qui quidem possunt contrahere, sed tamen non servatis solemnitatibus, sed solo affectu contrahitur; hoc enim est ratum, itaut non dirimatur, sed non est legitimum, eo quia non est contractum secundum Juris formam, quæ, ut vulgo dici solet, rem in esse ponit, *l. Julianus, §. Si quis rem, ff. Ad exhiben.* Et hæc distinctio habetur in *§. Ex his, hoc tit. & in cap. fin. 28. q. 1.* Cætera, quæ in titulo sunt, vide per te ipsum. Sed in quacunque difficultate Matrimoniali ne deferas recurrere ad meas Decisiones De Sacram. Matrim. in quibus maximo studio collecta sunt, quæ de eo possunt disputari.

TIT. XIII.

De Triplici Cognatione.

Quoniam inter cætera, quæ Matrimonium impediunt, Cognatio existit, quæ in variis est distincta speciebus, ob id nunc de ea tractatur, & videbimus:

1. Quid sit Cognatio?
2. Quot sint ejus species?
3. Quæ Cognatio consideretur?
4. Inter quas personas, & usque ad quem gradum Matrimonium impedit?

Quò ad Primum. Cognatio est Jus quoddam inter certas personas, vel legis fictione institutum, quo fit ut personæ ipsæ inter se conjunctæ videantur. Et propriè Cognati dicuntur, quasi cum aliquo nati, *l. 1. ff. Unde Cognat.* Et sciendum est, quod hoc nomen est nomen genericum, & specificum. Primo modo significat quosdam attinentes. Secundo modo ad eos refertur, qui sunt conjuncti per lineam scemininam, *l. Jureconsultus, ff. de Grad. affinit.*

Quò ad Secundum. Tres sunt Cognationis species. Naturalis, quæ medio consanguinitatis, vel affinitatis contracta reperitur. *§. Naturalis, hoc tit.* Est autem consanguinitas attinentia personarum ex eo proveniens, quod una provenit ab altera, vel ambæ ab eadem. Vel alio modo est vinculum personarum ab eodem stipite descendendum, carnali propagatione contractum. Et dicitur consanguinitas, quasi sanguinis unitas; quia scilicet consanguinei de communi sanguine descendunt,